uenit cur tacuit petrus, ne tam cito ueniae petitio plus offenderet.
Ante flendum est, sic precandum. Bonae lacrimae quae lauant culpam. Denique quos iesus
respicit, plorant delictum. Negauit primo petrus et non fleuit, quia non respe
xerat dominus. Negauit secundo, non fleuit quia adhuc non respexerat dominus. Nega
uit et tertio, respexit iesus et ille amarissime fleuit. Respice domine iesu ut
sciamus nostrum deflere peccatum, lauare delictum. Unde et lapsus sanctorum utilis.
Nihil mihi nocuit quod negauit petrus, profuit quod emendauit. Didici cauere
alloquia perfidorum. Petrus inter iudeos negauit, salomon contubernio gentili
deceptus errauit. Fleuit ergo amarissime petrus, fleuit ut lacrimis
suum posset lauare delictum. Et tu si ueniam uis mereri, dilue culpam
lacrimis tuam, eodem momento eodem tempore respicit te christus. Si in aliquo for
tasse laberis, qui secretorum tuorum assistit testis, respicit ut recorderis
et fatearis errorem. Imitare petrum dicentem alibi tertio: Domine tu scis quia
diligo te. Etenim quia tertio negauerat, tertio confitetur. Sed negauit in nocte,
confitetur in die. Haec autem ideo scripta sunt, ut sciamus neminem iactare se debere.
Nam si petrus lapsus est qui dixit: et si alii scandalizati fuerint ego non scanda
lizabor, quis alius iure de se praesumat? Denique et dauid qui dixerat: ego dixi
in mea habundantia non mouebor in aeternum, etiam sibi iactantiam obfuisse
profitetur dicens: Auertisti autem faciem tuam a me et factus sum conturbatus. Unde
te euocem petre, ut doceas me quid flens cogitaueris? Unde inquam te e
uocem? De caelo ubi iam choro insertus es angelorum, an de tumulo? Quia non
putas iniuriam tibi esse unde dominus resurrexit. Doce nos quid tibi profuerint la
crimae tuae. Sed docuisti ilico; nam qui lapsus es antequam fleres, postquam fleui
sti erectus es, ut alios regeres, qui te ipsum ante non rexeras. Habebat ergo
lacrimas petrus, pio quas fundebat affectu; non habebat compositos fletus
quibus culpam ablueret, sed tormenta conscientiae quibus sacrilegium fateretur, ut du
suo reus iudicio damnaretur et spontaneo supplicio facinus expiaretur, pi
etas domini quae se ipse nollet ulcisci et diuinitas probaretur, quae conscien
tiam mentis inuisibili potestate interrogaret.

MATHEUS. LXXXXVII.